

tur aeterno silentio delenda. Respond. Primum ne Iudæi gloriarentur de sanctitate suorum maiorum, quasi aliquo suo merito à Deo adoptati fuissent. Leui est sanguinarius, tamen eius posteris

A Deus donat sacerdotiū. Ergo gratuito. Deinde, vt sciamus, etiā in Ecclesia quandoq; horribilia peccata admitti, quæ tamen minime probentur ab omnibus.

CAPITIS XXXV.

Argumentum, Vfus, Partitio, Analysis.

Subditur hic diuina consolatio Iacobi in summo constituti terrore atq; periculo. Trepidanti enim Deus apparet, & quasi porrecta cœlitus dextra eum extrahit ex hostium faucibus. Iterum igitur historia confirmat doctrinam de prouidentia Dei pro suis. Cum enim extreme periclitantur, & neglecti videntur, Deus potentiam suam ostendit, & curam eorum se gerere demonstrat. Multa vero alia coaceruantur hoc capite, de morte Debora nutricis, & Rachelis charissimæ coniugis Iacobi, de incesto facinore Rubenis, denique de Isaaci Patriarchæ senectute & obitu. Capita igitur historie multa sunt, iuxta tamen quatuor migrationes Iacobi, quæ hic exponuntur, commode in quatuor partes diuiditur.

I. Est migratio ex Sichem in Bethel Dei iussu, vsque ad ver. 16.

II. Profectio ex Bethel in Ephrath, vsq; ad ver. 21.

III. Profectio est ex Ephrath in Migdal Eder, vsq; ad ver. 27.

IV. Reditus ad patrem Isaac in Hebron vsq; ad finem.

Singule rursus suas habent circumstantias.

In prima erit 1. Oraculum de migratione in Bethel, ver. 1.

2. Repurgatio familie Iacobi ab idolis, v. 2. 3. 4.

3. Terror vicinis vrbibus diuinitus incussus, v. 5. 6.

4. Altare Iacobi exstructum in Bethel, ver. 7.

5. Mors Debora, ver. 8.

6. Alia apparitio & oraculum, quo mutatio nominis & promissiones Iacobo confirmantur, ver. 9. 10. 11. 12. 13.

7. Monumentum ibi positum à Iacobo, ver. 14. 15.

In secunda erit 1. Natiuitas Beniamini & obitus Rachelis in partu, ver. 16. 17. 18. 19.

2. Statua Racheli posita, ver. 19. 20.

In tertia erit 1. Incestus Ruben, ver. 22.

2. Catalogus filiorum Iacobi, v. 23. 24. 25. 26.

In quarta erit 1. reditus Iacobi ad patrem Isaac, ver. 27.

2. Aetas Isaaci, ver. 28.

3. Obitus & sepultura eius, ver. 29.

PRIMA PARS CAPITIS

Migratio Iacobi ex Sichem in Bethel.

1 Dixit vero Deus ad Iacob. Surge, ascende in Bethel, & habita ibi, & fac ibi altare Deo, qui apparuit tibi, dum fugeres à facie Esau fratris tui.

2 Tunc dixit Iacob ad familiam suam, & ad omnes, qui cum ipso erant. Auferte Deos alienos, qui sunt in medio vestri, & mundamini, & mutate vestimenta vestra.

o 2

3 Et sit;